



Differt. theol. d. d. 36
Einzelne verhält 11. III. 1915.
Einzelnen de i. d.

~~J.H. 10.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-16.
SIGNAT. ciobcccxiil.

1) 2) 3) 4) 5) 6) 7) 8) 9) 10) 11) 12) 13) 14) 15) 16) 17) 18) 19) 20)



13 14

// //
עמי עשו

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

De

Urim & Thummim

QUAM

D. O. M. A.

In inclutâ Leucoreâ

PRÆSES

M. NICOLAUS POLEMANNUS

&

RESPONDENS

HERMANNUS ZIMMERMANNUS

Lüneburgenses

Publico *συμφιλογόντων* examini
sistunt

Ad diem 3. Novembr. Horis matutinis.


In Auditorio minori.



Wittebergæ, Typis Michaëlis Wendts.

Anno M. DC. LXVI.





Num est gens ulla alia ita magna, cui Dii ita sint propinqui, sicut Dominus Deus noster est nobis, in omnibus in quibus invocaverimus eum? admirabundus quarit Moses Deut. 4. v. 7. Comprobant hoc effectum abundè tum alia in SS. commemorata testimonia, tum imprimis etiam varia ista revelationum species, quibus πολυμερῶς ἔκ πολυτρόπως in V. T. Deus Prophetis locutus commemoratur. Singularis illa fuit & Mosi propria, quâ יהוה אל פה familiarissimè Deus ad Mosen verba è Propitiatorio fecit. Communiores verò & Prophetis competentes revelationes Num. 12, 6. aliæ per visionem, aliæ per somnium fieri dicuntur. Visionum aliæ externa, ut rubus ardens, aliæ interna & intellectuales fuerunt, cum mens ipsa vidit objectum propheticum cœlesti lumine representatum. Somnia autem divina vel disertè rem proponebant, quales Salomonis 1. Reg. 3. vel ambagibus implicata figuratè rem sistebant, quales Jacobi Gen. 28. Alia deniq; revelationis species Rabbini est ושרה רוח quam אברהם נבואה ita distinguunt, quod hæc cum quâdam infirmitate correpto, & ubi adfuerit, excitet virum ad loquendum vel psallendum. Videatur Dn. D. Calovius tom. 1. Syst. Theol. p. 487. & Isagoge p. 93. s. Ad illam, quam Spiritum S. vocant, referunt Ebraei gratiam per URIM & THUMMIM prædicendi futura & oracula edendi; quâ, & prophetiâ verâ in templo secundo deficientibus, aliam revelationem, quam בת קול filiam vocis vocant, successisse docent. Nos relictis cæteris, pro ingenii modulo de URIM & THUMMIM quædam in præsentia in medium afferre conabimur. Quamvis enim nec ingenii nostri tenuitatem, nec rei difficultatem ignoremus, quia tamen anxie à doctis omnibus seculis de eorum naturâ quæsitum fuit & adhuc queritur, atq; piè eruditorum investigatione res digna videtur, in celeberrimorum Philologorum de hoc oraculo sententias inquirere, & quænam maximo probabilitatis gaudeat testimonio ad Scripturæ S. lancem expendemus. Clementissimus Pater Domini nostri Jesu Christi benignissimam Spiritûs sui Sancti nobis in hoc labore largiatur & ἰσχυρῶς, ut veritatè, quam καὶ δόξα μιν seqvemur, feliciter assequamur.

THESIS I.

Aronitici pectoralis insigne URIM & THUMMIM explicaturi, à vocis evolutione meritò initium facimus. Ὀνόματα enim quasi νοήματα dicta putantur, cum ex nominis interpretatione facilius reiratio nota fiat teste Scaligero l. 1. de L. L. c. 4. Atq; imprimis in lingvâ sanctâ cæterisq; orientalibus notatio nominum rerum cognitioni inservit, cum eorum genuina significatio ex radicibus soleat investigari. Primum ergo inqvirenda originatio & investiganda radix, à quâ utrumq; vocabulum descendat: quæ tamen se facile prodit. A quâ enim radice aliâ derivaretur nomen אורִיִם quam à verbo אור luxit & תַּמִּיִם quâ ex תַּמַּם perfectus fuit? Et qui hoc negare velit, non verbis sed fuste refellendum esse, dicit Christ. Helvicus in *Vindic. loc. potiss. V. T. p. 148.* Ridiculus ergo est Card. Rob. Bellarminus, dum l. 4. de Rom. Pontif. c. 3. p. 211. B. tom. 1. oper. dicendum est, inquit, אורִיִם deduci à יורִי quod est (in Hiphil. הורִי) docuit, & alterum ab תַּמַּם quod est (in Hiphil. התַּמַּם) credidit. Si n. אורִיִם ab הורִי unde נ in illud irrepit? Et si תַּמִּיִם ab תַּמַּם cur n abjectum מ vero dagissatum est? rectè scribit Hackspanius in notis. ad Ex. 28. Prolixius Bellarminum refellit Sixt. Amama *Antib. Bibl. l. 2. p. 360.* & in censura vulg. Vers. ad l. c. Ratio quam addit ad stabiliendam suam derivationem: magis credendum est Hieronymo, qui vertit doctrinam & veritatem, & LXX, qui similiter verterunt δὴλωσι καὶ ἀλήθειαι, quàm omnibus Rabbiniis: bellè ab Amama l. c. in ipsum Bellarminum retorquetur, Vocem Thummim Deut. 33. v. 8. Hieronymus vertit perfectionem. Ergo derivanda à themate, quod perfectionem significat: at illud est תַּמַּם. LXX. autem & Hieronymum voces dictas exposuisse non propriè, sed μεταληπτικῶς, & ad finem potius respexisse, quàm ad nativam significationem rectè respondet B. Meisnerus *Phil. S. P. II. Sect. 1. p. 395.* Agnoscit id Corn. à Lapide *comm. in Exod. 28.* nostræq; sententiæ calculum suum adjiciunt ex ipsis Pontificiis, Cajetanus, Oleastrius, Ribera, Pererius, Martinus Delrio, Arias Montanus & alii.

TH. II. Vi ergo originis suæ Urim & Thummim significant splendores sive illuminationes, & perfectiones. Dubium tamen manet, utrum nomina hæc acceperint, vel à naturâ suâ, quod lucida fuerint ac perfecta, nihil ad sui perfectam constitutionem de-

sideran-

fiderantia, vel ab effectu quod consulentes se illuminarint in rebus dubiis, perfecta; vera & certa responsa Sacerdoti summo suggererint & dederint; vel deniq; ab utroq; simul. Secundum pluri-
 mimi amplectuntur. Talmudici in *Massechet Joma* c. 7. fol. 73. col. 2. אורי, inquit, vocatur nomen eorum, quia אורי illuminabant; verba ipsorum: תומי quia perficiebant verba ipsorum sc. *Israëlitarum interrogantium in rebus dubiis, clarum & certum responsum dando*, ut explicat Buxtorfius *Exerc. 3. p. 277.* Idem habetur in *Talmud Hierosolymitano* eodem cap. paulò aliis tamen verbis, secutusq; est Jonathan supposititius (v. *Diss. Cl. Dn. M. Pfeifferi de Targumim. th. 6. f.*) Paraphrastes Chaldaus in legem, ad Ex. 28. & R. Bechai, qui expressè, vocantur, inquit, *Urim & Thummim ab operatione suâ.* Nec incongrua est sententia eorum, qui urumq; conjungunt, atq; *Urim & Thummim* ipsas gemmas pectorali insertas fuisse existimantes, ideo sic dictas volunt, tum quòd in se lucidæ & perfectæ fuerint omni vitio & defectu carentes, tum quòd responsa perfecta per insolitum & extraordinarium splendorem manifestarent.

TH. III. Utrumq; verò vocabulum, de subjèctâ materiâ, semper ponitur in plurali numero: vel per enallagen, ad denotandam auxesin sive perfectionem, ut *Corn. à Lapide comm. & Hackspanius in notis ad l. c.* existimant: vel adhibetur pluralis ideò, quòd per ista intelligantur plures gemmæ, duodecim nim. istæ, quæ pectorali Pontificis insertæ erant. Interdum utrumq; vocabulum conjungitur, ut *Ex. 28. v. 30. Lev. 8. v. 8. Deut. 33. v. 8.* atq; ita, ut vel nomen *Urim* præcedat, vel sequatur, ut posteriori loco. Interdum autem solitariè nomen *Urim* ponitur, nec minùs tamen *Thummim* subintelligitur. Pleriq; enim agnoscunt *Urim & Thummim* eandem rem designare: quemadmodum R. Bechai expressè scribit; *nunquam Urim erant sine Thummim, utraq; enim unam & eandem rem conficiebant.* Quamquam idem existimet *Urim* fuisse nomen principale.

TH. IV. Circa *Synonymiam* expendendæ variæ interpretum explicationes. Equidem Onkelos, & Tavvsius Metaphrastes, Perficus, ut solet, voces Ebræas retinuit, quos secutus est Arias, fortasse ne *Vulgatæ falsæ interpretationi cōtradiceret*, Piscator & alii.

De Chaldaeo Paraphraſte Cl. Becman in l. de origg. *Chaldaus* inquit, ut mos Ebraorum fuit *mysteria condere*, servavit ἀνεγνή-
 νωσα. Quod ipsum prius verum quidem est de hodiernis Judæis, quorum invidiam erga Christianos adducit Cl. Schickardus in *Be-
 chin, Happer. p. 14. f.* ipsum vero Paraphraſten etiam ideo voces
 Ebræas retinuisse, minus probabile videtur. Arabs autem inter-
 pres reddidit אֱלֹהֵי אֱנֹכָר וְאֵלֵי צְהָרָר dilucidationes & certi-
 tudines. Syrus אֱלֹהֵי אֱנֹכָר וְאֵלֵי צְהָרָר lucidum & perfectum. LXX. δή-
 λωσιν καὶ ἀληθείαν, quos secutus Vulgatus & Hieronymus, reddentes
 doctrinam & veritatem. Aquila Φωπμαὶ καὶ πλειώσεις. B. no-
 ſter Lutherus Siecht und Recht. Piscator die Siechter und Vollkom-
 menheit. Cæteri omnes propiùs literæ verborum Ebraorum ad-
 hæſere: LXX. autem & Hieronymus sensum magis respexerunt,
 quia nim. res ipsa ex Dei ordinatione virtutem δηλώσεως & do-
 cendæ ἀληθείας habuit, earum sc. rerum de quibus instituebatur
 interrogatio. Rectiùs quoq; hi ista nomina interpretati videntur:
 neq; enim ignota nomina sunt, aut inexplicabilia, neq; etiam pe-
 regrina vel propria, cum א demonstrativum & affixa admittant
 v. Ex. 28. v. 30. Deut. 30. v. 8. Sunt qui existimant Hof. 3. v. 4. per
Teraphim, Urim & Thummim intelligi, adeoq; quodammodo syno-
 nyma esse. Sed respondit iis Cl. Dn. M. Pfeifferus *diſſ. de Teraphim
 th. 13.* quod ex versu precedente satis evidenter appareat, *Idololatris
 prædici, quod & publico cultus veri Dei exercitio & idolis suis privandi
 sint, nec meretrices nec marita futuri.* Conf. Rivetus ad h. l.

TH. V. Sed misſo nomine ad rem ipsam accedendum, atq; in-
 quirendum, quidnam ipsa *Urim & Thummim* fuerint. Enimvero
 nomina ipsa per se sunt satis nota, sed circa subjectam materiam
 valde ambigua; unde Interpretes vel Ebræa retinuerunt, vel illa
 aliter atq; aliter reddidere: res autem per ea significata in sacro
 codice non explicata, nisi quantum ad ipsorum officium atq; usum
 spectat. Istud enim satis constat, fuisse quædam symbola ordinaria,
 per quæ Deus Sacerdoti summo voluntatem suam de rebus rite
 quæſitis patefaciebat. Omnium reliquorum vestimentorum sa-
 cerdotum materia, forma & fabrica describuntur: de his solis au-
 tem nihil commemoratur apertis saltem & disertis verbis. Cætera
 omnia

omnia expressè jubentur à Deo per artifices fieri: de his vero tantum dicitur ad Moſen: & indes pectorali *Urim & Thummim*, neq; ad eorum explicationem quicquam ulterius additur. Hinc est, quod inter ipsos Ebræos nonnulli rem incertam & ignotam esse fateantur. R. David Kimchi *in libro Schoraschim*: Non constat nobis, inquit, quid fuerint. Eandem querelam occinît R. Abraham Geber *in Tseror Hammor s. comm. in Leg. scribès* אֲנַחְנוּ לֹא יָדַעְנוּ מֵהָהָם: *nescimus quid fuerint*: idemq; multis de iis disputans reperit Aben Ezra. Subſcribit huic ſententiæ Rivetus *comm. in Exodum* his verbis: *Certe nihil temerè definiendum est, adeo res nobis incognita & incerta*: itemq; Cl. Buxtorf. *Exercit. 3.* Huic Cl. virorum ερωτηματιον merito lubentesq; nostrum adjicimus calculum: neq; Archimedum ερωτηματιον quenquam hic facile usurpare posse existimamus. Interim quænam celeberrimorum Philologorum ſententia ſacris literis maximè consentanea deprehendatur, non abs re conabimur investigare.

TH. VI. In antecessum verò pectorale ipsum, cui indita legimus Urim & Thummim, explicandum. Dicitur illud Moſi אֲשֶׁר בְּחֹשֶׁן vel ex אֲשֶׁר בְּחֹשֶׁן filuit, tacuit, quod B. Forſtero *in Diction. p. 216.* placet, ut ſignificatum fuerit hoc nomine, pectorale istud mysteria Dei abscondita & tacitam Dei voluntatem comprehensam habuisse, vel per transpositionem literarum ex אֲשֶׁר בְּחֹשֶׁן divinavit, auguratus est. LXX. istud αἰσθητικόν reddiderunt, Piscator Brust. *Euch. B.* Iutherus autem noster ab externa forma, ein Schildlin. Josephus paululum immutata voce *Essen* appellat. A Græcis Interpretibus etiam λογιον nuncupatur, quod Josephus *Ant. Jud. lib. 3. c. 9.* oraculum interpretatur: paulò aliter tamen Gallasius *ad Ex. 28. v. 30.* & B. Meisnerus *Phil. Sobr. P. II. sect. 1. c. 3.* Erat autem Choschen una ex octo vestibus Pontificis à Deo ipsi peculiariter præscriptis: quarum quatuor ipsi cum aliis Sacerdotibus communes, quatuor autem propriæ erant. Communes כתונת indusium, tunica מכנסים femoralia מגבעות tiara & מטביל balthus: propriæ autem ipsi מעיל palliolum אפרון amiculum, humerale, ציפית cidaris sive corona vel bractea, & deniq; אֲשֶׁר בְּחֹשֶׁן pectorale. Textura harum describitur *Ex. 28. & c. 39.* quam latiùs explicant Maimonides *in Hilcoth cele Mikdash* vel de Vasis Sanctuarii *c. 9.* & Fl. Josephus *A. J. l. 3.*

A. J. l. 3. c. 8. cujus auctoritatem in hac re vel ideo majori loco habendam ex Ebræis R. Afarias censet, quod vixerit stante adhuc templo secundo, atque ita hæc non ex auditu & rumore hauserit, sed coram potuerit videre, secta Phariseus, professione Sacerdos. Repetit ex Josepho S. Hieronymus epist. 128. ad Fabiolam, cujus verba adducit Car. Sigonius de rep. Ebr. l. 5. c. 2. Verba Josephi de Choschen inter alia hæc sunt: In Ephod circa medium pectus lacuna quaedam relinquitur, cui inseritur frustum amplitudine palmi (spithamæ) iisdem (variis) coloribus quibus Ephod variegatum. Id vocatur Essen, ut si dicas rationale. Istud duodecim gemmae distinguunt, exigua vel magnitudine vel pulchritudine, ornatus, propter enorme pretium, incomparabilis, cui terna, per ordines quatuor, inerant, conferta coronulis aureis ita ut excidere non possent. His omnibus erant insculpta filiorum Jacobi nomina, quos tribuum auctores habemus, ordine quo singuli nati fuerant.

TH. VII. Huic ergo Choschen sive pectorali ex mandato Dei Urim & Thummim indita fuere. Ex Ebræis plerique putant fuisse Scripturam vel sculpturam nominis tetragrammati (יהוה) ita dicti) יהוה, cum certis quibusdam ejus per alia itidem nomina divina expositionibus, quas Moses vel à Deo ipso scriptas, vel lapidibus insculptas acceperit, vel ipse ex divina revelatione scripserit, & duplicationi pectoralis inseruerit. Antiquissima hujus sententiæ mentio fit in libro Zohar in Exodum. Verba in Latinum translata sermonem hæc sunt: *Urim sunt secretum speculi lucentis, & hoc est sculptura literarum nominis illius sancti per mysterium 42. literarum, quibus creati sunt mundi, quæque impressæ fuerunt in eo: Thummim sunt secretum literarum illarum, quæ comprehensæ fuerunt in loco speculi non lucentis, & hoc constabat 72. literis, sculpturis illius nominis Dei sancti mystici.* Eadem fere habet Targum Jonathanis in legem ad Ex. 28. 30. Secuta major pars Ebræorum: unde R. Abraham Seba Hispanus scribit: *major pars sapientum Cabbalisticorum consentiunt, quod fuerint nomina sancta, quamvis diversimode se explicent.* Huc referri potest illorum Cabbalistarum sententia, qui nomen Dei tetragrammaton duobus modis transpositum ab interiore parte, XII. gemmis pectoralis inscripta fuisse existimant, & hujus virtute, quando Sacerdos summus per Urim & Thummim

Thummim Deum interrogabat, & lapides insolitum fulgorem
emisse & animum Sacerdotis illuminatum fuisse. Duodecim ista
nomina vide apud Buxtorfium ex Ababenele citantem *Exerc. 3.*
p. 284. & Bangium ex quadam moneta, ubi alia quædam nomina
addita, *in cælo Orientis exerc. 2. p. 195.* Sed hæc sententia minus pro-
babilis videtur, cum redoleat fabulas Judæorum de mirâ virtute
nominis יהוה seu המפורש de quo conf. B. Lutherus *pec.*
libr. P. Galatinus in Arc. Cathol. Verit. Raymundus Martini *in pu-*
gione fidei, Reuchlinus *de arte Cabbalisticâ &c.* Et cur nomen Je-
hovæ pectorali inscribendum fuisset, quod aureæ insculptum la-
minæ in fronte jam gestabat Sacerdos?

TH. VIII. Augustinus *rom. 4. l. 2. quest. in V. T. qv. 117.* hæc ipsa
nomina *Urim* atq; *Thummim* aureis Ebraicisq; characteribus pe-
ctorali inscripta fuisse censet. Subscribit Bellarminus *l. suprâ cit.*
& Cornelius à Lap. *comm. ad Ex. 28.* Hic, *mibi verisimilius,* inquit,
videtur, hæc duo nomina Urim & Thummim inscripta fuisse rationali;
ita ut, cum dicit Scriptura Sacra: Pones in rationali doctrinam & veri-
tatem, sensus sit; inscribes in rationale hæc duo nomina, sicut tiara Pon-
tificis inscripta fuerunt hæc duo verba: Sanctitas Jehovah: existimans
sic sensum maxime planum ex verbis Mosaicis emergere. Sed &
ista expositio videtur inconueniens, nec immerito eam Pererius &
Martinus Delrio rejiciunt. Non enim dicitur: scribes Urim &
Thummim, sed, pones. Quam rationem etiam urget Rivetus comm.
in Exod. 28. Ubi agitur, inquit, de nominibus in ornamentis Pontificia-
libus, Sp. S. semper jubet ut insculpantur. Sic, ubi de 2. lapidibus super-
humeralis, & 12. pectoralis, in quibus insculpta fuerunt Israëliitarum no-
mina. At hic nulla mentio sculpturae, nec lapidum, in quibus verba illa
sculpta fuerunt, quod à Mose omissum fuisse mirum esset in tantâ & tali
circumstantiâ. Arias Montanus in Apparatu, citante Bellarmino, docet
esse duos lapides lucidissimos, à Deo ipso immediatè productos
atq; Mofi datos. Suidas in dictione Ephod scribit, fuisse duos sma-
ragdos & in eis positum adamantem. Vide locum integrum apud
Buxtorf. Exerc. 3. sub finem. At de iis in sacris literis nec vola nec
vestigium apparet. R. Alarias in Meor enajim citat AbenEfram,
quod putarit, fuisse opus aurifabri, instrumentum Astrologicum,
simile quid illis figuris five instrumentis, quæ faciunt Astrologi ad
B sciën-

sciendum cogitationem ejus qui interrogat. Sed absq; fundamen-
to: unde rectè subjicit R. Asarias: *nihil quicquam dixit Aben Esra.*

TH. IX. Alii deniq; ipsas XII. gemmas in pectorali collocatas
Urim & Thummim nuncupatas esse volunt. Hanc sententiam ex-
pressè & prolixè tuetur ex Ebraeis idem R. Asarias *l. cit. c. 50.* citat-
que pro suâ sententiâ R. Mos. Maimonidem *l. de Vasis Sanctuarii c. 9.*
Flavius etiam Josephus, cujus in hac controversiâ testimonium
meritò magni faciendum est, procul dubio in eâdem fuit sententiâ.
Nam *l. 3. c. 8. Ant. Jud.* Pontificalem ornatum, & in specie Ephod
& Choschen describens, tantùm gemmarum, nullam autem *Urim*
& *Thummim* facit mentionem. Similiter *c. 9.* ubi de responsis è pe-
ctorali datis agit, iterùm gemmarum tantùm meminit: nec minus
l. 8. c. 2. ubi de templi Salomonai apparatu agit. E quibus videtur
colligi posse; nihil peculiare vel distinctum à gemmis pectoralis
illi *Urim & Thummim* fuisse. Eandem sententiam eleganter, & iis-
dem ferè rationibus, quibus R. Asarias, tuetur B. Joh. Brentius
Comm. in Exodum cujus verba suppresso nomine Paulus Fagius
comm. in Paraphrasin Chaldaicam Ex. 28. citat. Approbat eandem
B. Meisnerus *l. c.* eandemq; etiam B. Lutero verisimilem visam
addit. Consentit etiam Bened. Bererius *comm. in c. 25. Gen.* Baro-
nius *ad A. M. 2544. S. 86. f. Constant.* L'Empereur *ad idomejan*
Kimchii l. 2. c. 7. p. 206.

TH. X. Rationes hujus sententiæ palmarie ex collatione loco-
rum desumuntur. Cum enim *Exod. 28.* Moses religiosè atq; accu-
ratè vestimentorum sacrorum materiam & formam describat, ve-
risimile maximè videtur, ipsum etiam pluribus *Urim* atq; *Thummim*
explicaturum fuisse, si aliud quid quam XII. pectoralis gemmas
per illa intellexisset. *Cap. a. 39.* ubi descriptio vestimentorum re-
petitur, nullam *Urim & Thummim* Moses facit mentionem. Contra
Lev. 8. v. 8. horum meminit, nihil autem de duodecim illis la-
pidibus dicit. Præterea non dicitur *Ex. 28.* scribes aut sculpes *Urim*
& *Thummim*, sed pones, ut corpora subsistentia denotentur: quæ-
nam autem alia quam gemmæ istæ, quandoquidem artificibus seor-
sim non commissa fuere facienda. Accedit, quod omnes ferè fa-
teantur, responsum per *Urim & Thummim* datum è lapidibus illis
duodecim egressum esse, & quidè per lucem ex illis promicantem,
unde

unde ita dicti sint, qv. אורי אבני lapides lucentes ותמי & perfecti: & præterea illud: qvod ה Hajediah, utriq; nomini Ex. 28. præfixum, docere videatur, agi hîc de re notâ & cujus jam ante mentio facta sit. Conf. Deut. 3. v. 5. Addit L'Empereur l. c. ex Æliano var. lect. l. 14. c. 24. quemadmodum summus Ægyptiorum Sacerdos gestabat ornamentum ex Sapphiro, qvod dicebatur ἀλήθεια, ita etiam Sapphirus aliq; gemma in pectorali Aaronis ἀλήθεια (ut reddidere LXX.) dici commodè potuerunt.

TH. XI. In hac posteriori sententia, si qua omninò ex istis est eligenda, nescimus quid obstat, qvò minùs acquiescamus. Hæc enim simplicissima & textui quam maximè congrua videtur esse interpretatio. Neq; inde oritur ταυτολογία quemadmodum Corn. à Lap. objicit: Cum fusè descripsisset, inquit, Moses XII. gemmas, & immediatè ante hoc præceptum de ponendo Urim & Thummim in rationali rursus XII. gemmarum clarè meminisset, quorsum qvæso paulò post easdem tam obscure nominibus Urim & Thummim inculcaret? Nam in superioribus tantùm numerum dispositionem & sculpturam gemmarum Deus Mosi præscripserat, postea autem usum & officium illarù duabus hisce vocibus ostendit. Particula enim ו in ונתתן exponenda, ut sæpè aliàs, per sic vel ita: ut sensus sit: positis in pectorali gemmis, posuisti Urim & Thummim, gemmas sc. Urim & Thummim futuras. Quo observato corruiet etiam argumentum primum Cl. Höttingeri contra hanc sententiam, qvando Exerc. Anti-Morin. p. 88. urget verba versus 30. Pones autem in pectorali, (his np. lapidibus jam recensitis instructo) Urim & Thummim. Neq; ita tribuitur Mosi, qvod ipse posuerit oraculum in hisce lapidibus: Mosi, instat Cornelius, non erat ponere oraculum in hisce lapidibus, sed Dei. Ergo non bene dicitur: Pones oraculum; sed dicendum erat: ego ponam; ego dabo per lapides oraculum. Illud enim tantùm tribuitur Mosi, qvod gemmas istas, futuras ex Dei ordinatione oraculum, sc. Urim & Thummim, in pectorali collocaverit. Alterum argumentum qvod idem Höttingerus contra hanc sententiam urget, non est contra nos, Voluit Deus, inquit, ut pectorale fieret כפור duplicatum, ut utriq; parti quasi excavata aliquid inferi posset, qvod, qvud aliud est quam Urim & Thummim? Rectè: & illa nihil aliud sunt, quam ipsæ gemmæ pectoralis, qvæ propterea dicuntur lapides implementationum Ex. 25. 7.

TH. XII. *Fuerunt igitur, (ut aliquam eorum descriptionem exhibeamus) Urim & Thummim gemma, pectorali Pontificis iussu Dei à Bezaleele inserta, ut essent symbola quadam, per quæ Deus Sacerdoti summo, ex singulari & presentissima Spiritus Sancti operatione, suam de rebus ritè quæsitis patefaceret voluntatem. Conceptus contrahibilis est, quod fuerint gemmæ: conceptum autem contrahentem reliqua sistant verba. Ubi differentia petitur tum ab eo quod pectorali inserta, tum ab artifice, tum ab officio & fine.*

TH. XIII. *Causa efficiens sive artifex τὸν Urim & Thummim fuit Bezaleel, quem Deus gloriosus ipse delegerat, scientiâ fabrili singulari instruxerat, & teste Mose Ex. 35. v. 30. impleverat Spiritu Dei & omni doctrinâ, ad excogitandum & faciendum opus in auro & argento, ære, sculpendisq; lapidibus. Hoc acriter impugnat Cl. Höttingerus l. c. p. 85 s. Videmus, inquit, utut auctores in descriptione forma variant, consentire tamen in eo quod opus illud ab homine non profectum sit. Ad stipulatur ei Junius in margin. glossâ Ex. 28. & Piscator in h. l. Arias Montanus in Aarone p. 4. Amelius Or. de Urim & Thummim. Verùm enim verò largitur nobis Cl. Höttingerus testimoniū Aben-Etræ in c. 2. Esdræ v. 63. additq; quod non aliunde hoc quam ex eorum sententiâ, qui per Urim & Thummim duodecim gemmas in pectorali positas intelligunt, promanaverit; ut adeò ipse agnoscere cogatur, si fuerint gemmæ, (quod supra est ostensum) non posse non artificis opus esse. Et sane istis gemmis nomina Patriarcharum insculpta non sine artificio fuerunt, quod à Deo, utiq; factum non est. Objicit Arias Montanus hoc, quod non dicatur aut facies, aut scribes, sed, & pones s. dabis. Sed eadem vox in præcedente v. 23. etiam de annulis adhibetur: quis autem diceret nec illos χεῖρας τῶν πρῶτων fuisse. Junius urget hoc, quod jusserit Deus pectorale fieri duplicatum, ut Urim & Thummim intus reponerentur, & ab utrâq; parte laterent. Sed ipse addit fortasse. Et cùm hoc tantùm dicat, non probet, eadem facilitate quâ affertur, rejicitur.*

TH. XIV. *Finis ex intentione Dei collocatorum in pectorali Urim & Thummim, atq; adeò eorum officium fuit, quod symbola quadam fuerint, per quæ Deus Sacerdoti summo ex singulari & presentissima Spiritus Sancti operatione suam de rebus ritè quæsitis patefaceret voluntatem. Illud satis patet tum ex dictis tum ex exemplis SSæ v. Num. 27. v. 21. 1. Sam. 28. 6. Deut. 33. 8. in quibus*
non

non modò docetur consuli Deum per Urim & Thummim, sed & ipsa revelandi ratio satis distinguitur à somniis, visionibus & prophetiis, distinctis manifestationis divinæ voluntatis generibus. Concessit autè Deus Optimus Maximus hoc illustre oraculum populo suo propterea maximè, ut illum à Diabolicis divinandi & futura prædicèdi modis retraheret, ne, ut erat ad superstitiones & idololatrias proclivis, quemadmodum Saul improbè fecisse legitur *1. Sam. 28.* ad Diabolicas artes declinaret & à Deo se averteret. Præterea, ut suam & populi sui gloriam inter exteros quoq; & alienos populos tanto illustriorem redderet. Deniq; etiam ut typum proponeret in summo Sacerdote legali veri illius Pontificis maximi: unde ante ipsius adventum quoq; hæc per Urim & Thummim revelatio à Deo subducta fuit & disparuit. Sed hæc latius diducere nostrum non est: diduxit autem Buxt. *Exerc. p. 337.* & nostratum Theologorum plurimi, qui videantur.

TH. XV. Qualis autem fuerit illa revelandi ratio, de qua facit *SSra*, investigare ad nostrum non pertinet forum. Liceat tamen nobis, ne planè nostra hinc deficiat tractatio, in lectoris gratiam, varias Autorum opiniones afferre, & nostram hac vice suspendere *Thingion*. Christ. à Castro *l. 3. de futur. verà cognitione c. 3.* potum probabilem affert opinionem: *Substituisse, ait, Deum pro imaginibus, quibus ope Dæmonum gentiles futura prædicebant, apud Judeos Urim atq; Thummim, & per illa idola vel Deum vel angelum, quid agendum vel fugiendum fuerit, respondisse.* Explodit & refellit pluribus hanc sententiam Riverus *comm. in Ex. 28.* Et Corn. à Lap. Dn. D. Calovius *in Syst. p. 290.* Et quis credat Deum hostem idolorum, idola inseruisse pectorali apud populum in idolatam proclivem? Neq; autorum calculum meruit illa sententia, cujus mentio fit *in Talmude Hierosolymitano, Joma c. 7.* quod responsum datum fuerit per vocem editam & à sacerdote auditam; sicut de Mose dicitur *Num. 7. v. 89.* nam is modus קוּבַת peculiaris fuit. Communis autè sententia est, responsa data fuisse per lapides pectoralis, medicantibus literis insculptis. Diversimode tamen se explicant Autores. R. Moses Nachmanides & R. Bechai *in legem* docent, quod virtute *וְעַל* Urim literæ lucem præbuerint in oculis Sacerdotis ad prænoscentia ex illis futura: *Thummim* autè tantum inservierint ad literas illas conjungendas. Don Isaac autem Abarbenel probabilius censet: literas omnes non simul luxisse, ita ut dubius manserit Sacerdos de dispositione & conjunctione illarum: sed literas ex Patriarcharum nominibus eâ serie, quâ conjun-

genda erant, prominuisse & eluxisse. Hac enim ratione & ordine. (ut putat) pederentim literas, quæ subsequenter aliis splendore amittebant, memoriæ mandabat Sacerdos, ut de ordine eas conjungendi dubitare non posset, sed necesse fuerit ordinatum & intelligibile prodire responsum. Et quia literis nominum duodecim tribuum omnes & singulæ voces exprimi nõ potuerunt, ob absentiam Tsade & Theth, docet Maimonides *l. de Vasis Sanctuarii c. 9.* supra יְצַחֵק וְיַעֲקֹב scriptum fuisse יְצַחֵק וְיַעֲקֹב infra Benjamin autem יְצַחֵק וְיַעֲקֹב R. Abrah. Seba in *Tseror hammor* & cum eo Cl. Schickardus in *Mischpat Hammelech p. 13.* statuunt ipsam cõfigurationem gemmarum illuminatarum inter opacas speciem literarum exhibuisse, additq; non remerè *juississe Mosen illas 12. gemmas in quatuor ternarios disponere: sed ut vario lucidorum punctorum sic literas omnes etiã finales representare possent: subnectitq; schema, quomodo XII. gemmæ sic dispositæ omnes referre literas potuerint.*

Th. XVI. Fl. Josephus *l. 3. A. J. c. 9.* in eo quidem cum istis convenit, quod per fulgorem quendam Deus voluntatem suam Judæis patefecerit, de literarum autem quarundam coruscatione nihil addit. *Per XII. gemmas, inquit, quas in pectore Pontifex insutas Esseni gestabat, in bello victoriam prænunciare Deus solebat. Nam priusquam se exercitus moveret, tantus fulgor ex iis emicabat, ut toti populo facile innotesceret adesse Deum. Rivecus autem nullum concursum in oraculo hoc lapidibus concedit. Sic autem scribit comm. in Exod. 28. Si quid etiam post alios audeamus proloqui, non absurdum nobis videtur, si dicamus, ex pacto & promissione Institutoris, Deum invocatum à Sacerdote certo ritu, gemmas illas gestante, respondisse non articulata aliqvã voce, sed per illuminationẽ intellectus illius, & certam persuasionem inditam menti ipsius de veritate responsi. Itaq; nullam vim fuisse in lapidibus, nisi tanqvã in morali causã, à Deo fuisse effectum, qui ad illius præsentiam operabatur occulto quodammodo. Quæ responsio nullis subjacet incommodis & non malè convenit cum aliis modis, quibus Deus extra ordinem occulta revelavit. Ad stipulatur Amesius *l. c. Si ullus sit conjecturæ locus per Spiritus revelationem non per lapideũ splendorem Deum crederem respondisse. Sed hoc pacto non satis distinguitur hoc oraculum ab aliis revelationis divinæ speciebus; quod tamen peculiare fuisse, è collatione locorum Ex. 28. v. 30. Lev. 8. v. 8. Num. 27. v. 21. 1. Sam. 28. v. 6. Dent. 30. v. 8. apparere docet Dn. D. Calovius tom. 1. Loc. Theol. p. 90.**

Th. XVII. Quænam harum sententiarum reliquis cæteris amplectenda sit, nec nostri instituti nec ingenii est definire: Istud autem ex
colla-

collatione harum sententiarum colligitur, probabilius videri, & gem-
mas ipsas pectoralis & Spiritus S. operationem in hoc oraculo con-
curriffe: quoniam autem modo illæ concurrerint non liquet. Non ta-
men confundendum hoc, cum oraculis è propitiatorio redditis, quæ
foli Mofi propria vi promissionis *Ex. 25. v. 21.* ut à Petro Molineo *in Vatis*
l. 1. c. 22. fit, quem latius refutat Dn. D. Calovius *l. c.* Sed hæc diducunt
fufius Theologi, nobis breviores ducendæ sunt lineæ.

TH. XVIII. Cæterùm modum interrogandi ita describit Maimoi-
nides *l. de Vasis Sanctuarii: Sacerdos stat facie suâ versus arcam conversâ,*
& consulens retrò illum facie ad tergum Sacerdotis obversâ, rogat q̄, (con-
sulens) ascendamne aut non ascendam? non querit voce altâ, neq̄ cogitando
duntaxat in mente, sed voce submissâ ad instar ejus qui solus orat. Objectum
Quod interrogandum, principale sc. erat Deus Opt. Max. conf. 1. Sam.
23. v. 2. & c. 28. v. 6. 2. Sam. 2. v. 1. Minus autem principale, solus Sacer-
dos summus, quod patet tum ex locis illis Scripturæ, ubi ejus tantum
fit mentio, tum ex praxi observatâ, tum insuper ex hac ratione, quod
solus Sacerdos Sanctum Sanctorum ingredi, & coram arcâ ministrare
potuerit; cum tamen Num. 27. v. 14. expressè dicatur: interrogabit Sa-
cerdotem de judicio Urim coram Domino, i. e. quemadmodum phrasis hæc
usurpatur, coram arcâ. Cunaus quidem l. 1. de rep. Ebr. c. 14. magnâ con-
fidentiâ & asseveratione scribit: Davidem regem 1. Sam. 30. v. 7. ami-
culum sacrum Ephod sibi applicasse, & eo indutum consuluisse Deum
an auspiciò copias in hostes educaturus esset. Sed sensum istum verba
non postulant: nam לְעוֹלָם לְעוֹלָם non est applica mihi, sed applica
pro vel propter me, in mei gratiam. Conf. Num. 27. v. 21. ex quo Ebræi
arguunt ipsum regem per Sacerdotem summum consulentem Urim &
Thummim, coram eo stare debuisse, vid. Maimoides l. 2. c. 2.

TH. XIX *Persona autem consulens Sacerdotem in eminenti reip.*
Judaicæ loco constituta fuerit oportet, ut exempla docent. Sic Rex
David sæpius & cum fructu hoc oraculum consuluisse legitur, veluti
cum Kehilæis esset succurrendum 1. Sam. 23. v. 2. s., cum Hebronem ei
concedendum 2. Sam. 2. v. 1, cum bellum cum Philistæis esset geren-
dum 2. Chron. 5. v. 19, cum causæ famæ diuturnæ inquirenda 2. Sam.
21. v. 1. & c. Josuæ etiam in ipsius inauguratione præcipitur, ut inter-
roget Sacerdotem Eleazarem de judicio Urim coram Domino. Et de
Israëlitis Jud. 1. commemoratur quòd interrogaverint Dominum.

TH. XX. *Objectum de Quo interrogatio instituebatur, non erat ne-*
gotium alicujus privati aut levis momèti aliqua causa: sed res publicæ

speſtantes ad totius reip. & populi ſalutem, ut bello ingruente vel aliã calamitate. Unde tribuum nomina pectorali inſerta eſſe volunt, ut ſci-
rent Iſraëlitæ, harũ duntaxat cauſã hoc beneficium ipsis indultum eſſe.
Rectè etiam obſervat R. Levi ben Gerſon: *Urim & Thummim* non con-
ſulta fuiſſe, niſi in rebus ſubitanis & inopinato incidentibus, ſicut pa-
tet ex exemplis in Sſcrã commemoratis. Addunt Ebræi non quærendũ
fuiſſe de duabus rebus ſimul, ſed tantũ de unã: tradunt etiam in uno
eodemq; negotio unã cum ſorte, majoris certitudinis cauſã *Urim &*
Thummim conjuncta fuiſſe, ut *Num. 26. v. 55 Joſ. 7. Sic & 1. Sam. 10.* in ele-
ctione Saulis inquisitionem ſimul per hoc oraculum factam eſſe vult
R. D. Kimchi: quod nos in medio relinquimus.

TH. XXI. Deniq; diſpiciendum, quamdiu oraculum hoc apud Iſraë-
litas manſerit. Talmudici in *Talmud Babylonico Maſſ. Joma c. 1. in fine. &*
in Talmud Hieroſ. Taanijoth c. 2. in princip. docet, quod defuerint in tem-
plo ſecundo quinque; 1. *Arca cum propitiatorio.* 2. *Ignis ſacer* (cõſumens
ſacrificia) 3. *habitatio ſ. præſentia divina.* 4. *Spiritus S.* 5. *Urim & Thummim.*
Adducunt in hanc rem Rabbini ſcriptionem defectam vocis **וְכִכָּר**
Hagg. 1. v. 8. quod ſcribitur in textu ſine ך in fine: non ut iſtud inde pro-
bent, ſed ut rei notiſſima & alibi probata ſuo more ך symbolũ memoriale
in recordationis facilioris ſubſidium pararent, ut loquitur Schick. in *Miſch-
path Hammelech theor. 2.* In additionibus Talmudicis in fine c. 1. *Joma*
dicitur, quod quidem adfuerint in templo ſecundo, ſed non reſponderint iis
qui ea conſulebant: idemq; habet Maimonid. *l. 1. c. 10.* Cum his conſentit
Cuneus de *R. J. l. 1. c. 14. p. 131.* Facti alii lapides & inditi in amiculũ Chofchen
ſunt: non quod jam amplius ope eorũ Pontifex oracula ederet; ſed ut conſum-
matus earum rerum numerus eſſet, quas Moſes ad Pontificem ornandum præ-
ſcripſerat. R. autè Aſarias ſtatuit, quod ab initio quidẽ templi ſecundi *Urim*
& *Thummim* adfuerint & reſponſa etiã dederint, tandem verò propter multa
Græcorum bella omnia vaſa & veſtimenta ſacra ab hoſtibus in captivitatẽ ab-
ducta fuerint. Joſephus *l. 3. A. J.* addit tempus, inquiring: *Deſiit tam Eſſen*
quã Sardonyx fulgorẽ emittere annis ducentis antequam hæc cõmentaremur:
imato Deo propter legum ſuarũ violationem: quod tempus teſte Car. Sigon.
l. c. in Regis Johannis Hyrcani ætatem incidit. Huic ſententiã ſtabilien-
dã adduci ſolet locus *Eſdr. 2. v. 62. & Neh. 7. v. 65.* Conf. tamẽ Cl. Hakſp.
not. ad Eſdr. l. c. Quicquid autè hac de re ſit, cum univerſo tamen ſacer-
dotio Levitico etiam hoc oraculum ante Meſſiæ adventum abolitum
eſt atq; evanuit: fruſtraq; ſibi Judæi de his & aliis per Meſſiam
reſtituendis ſvavia fingunt ſomnia. Tantũ.

SOLI DEO GLORIA.

Umg VI 16

ULB Halle 3
002 061 678



sb

1517

Z







B.I.G.

Farbkarte #13

13 14

// עמי
// עשו

DISSERTATIO PHILOLOGICA.

De

Urim & Thummim

Quam

D. O. M. A.

In inclutâ Leucoreâ

PRÆSES

M. NICOLAUS POLEMANNUS

&

RESPONDENS


HERMANNUS ZIMMERMANNUS

Lüneburgenses

Publico συμφιλολογάντων examini
sistunt

Ad diem 3. Novembr. Horis matutinis.

In Auditorio minori.



Wittebergæ, Typis Michaëlis Wendts.

Anno M. DC. LXVI.

sehn

ern/
öhn

hr ga
regt.
Beißh
atten
n sich
innt/
die W
hen
beste
iselt
in Z
nhav
rob
n ers.
ingeh
rs m
eisch
iese
en sei
n der
et un
ist/do
otel
uns
besin
en
auter
nug d
eter/
ohn
ücket
n Zu
ahr

